

Letter 255: 9 November 1525, [Sélestat], Paulus Phrygio to Capito

The manuscript of this letter is in the Universitätsbibliothek Basel, Ki.Ar. 25a, 60.

Gratia tecum. Litere tue mihi iucundissime, mi Capito, magnam attulerant consolacionem. Amicum te sencio unicum, qui ferme ab omnibus sum derelictus. In spelunca habito leonum, et utinam divina me gratia aliquando liberaret. Parva hic spes est; sed Domini fiat voluntas, non mea. Admones, et vere, humane sapiencie nihil tribuendum, Dominus enim perdit sapienciam  
5 sapiencium et prudenciam prudencium in nihilum redigit. Solus Deus est qui omnia operatur in omnibus, cuius verbum permanebit in aeternum. Verum mori oportuit Christum et resurgere. Velim pensites diversas gratias eiusdem spiritus.

10 Mi Capito, non sum mei iuris. Dominus est qui cor et labia regit. Absit a me, ut absque divinis literis quicquam intente[m] vel dicam vel faciam, Deo adiutore. Porro in omnibus quae mihi accidunt, commisi me Deo; faciat mecum secundum voluntatem suam, tantummodo servet me in fide verbi. Aperiat oculos meos suam, ut agnoscam, voluntatem, iustificationem et iudicium. Vellem si Dominus annueret alibi esse. Vale. Dominus te confortet. Fac me olim participem eorum quae legisti in [heb] Habakkuk. Vale. Iovis ante Martini anno MXXXV.

Tuus Phrygio.